

155

153

159

149

164

144

204

104

254

054

Ende

Anfang

140

super margines navis posset in proram ascendere, et se de  
fune ad funem trahere, quod ego saepe feci, quamvis incautum  
sit et periculosum; vel posset extra columbaria remorum supra  
remos sedendo se expedire, quod etiam timidis non expedit,  
quia sessio illa est etiam periculosa et ipsis galēotis ingrata.  
Maxima vero difficultas in tempestatibus, quando loca secreta  
continue sunt fluctibus opera et remi retracti super transtra.  
Ille ergo, qui se in tempestate vult purgare, oportet ut se  
exponat totali madefactioni, quapropter multi nudi omnibus  
indumentis despositis accedunt. Verecundia in hoc actu est  
multum nociva, et facit agere magis verecunda. Aliqui nolunt  
notari, et procumbunt ad alia loca, quae deturpant, et fiunt  
ira et rixae et dehonestatio bonorum hominum. Aliqui juxta  
cumbas suas ollas replent, quod est turpissimum, et multum  
gravans collaterales; nisi quis esset infirmus, cum quo merito  
patientia est habenda. Non possem brevi sermone explicare,  
quantum sustinui cum quodam collaterali infirmo. Magno studio  
caveat peregrinus, ne ventris alveum obstruat, ductus verecundia  
puerili et nemimum laxus fiat, quia utrumque perniciosum est  
naviganti. De facili constipatur homo in mari. Et consilium  
bonum est et salubre, ut peregrinus omni die ter quater, etiam  
absque naturae postulatione, ad locum se ponat, et discreto  
conatu ventris apertione promoveat, nec desperet, si venter  
nec tertia nec quarta vice aperiatur. Accedat crebrius, solvat  
cingulum et vestimentorum omnium colligationes supra pectus  
et umbilicum aperiat, et habebit ventris beneficium etiam si  
lapides essent in eo. Hoc consilium dedit mihi quidam exper-  
tus marinarius, cum multis diebus fuisse durissime consti-  
patus, nec est securum, pilulas aut suppositoria accipere in  
mari, quia per hujusmodi inducitur nimia laxatio, quae pericu-  
losior est quam constipatio. Aliae etiam praeter hanc purga-  
tionem sunt peregrino necessariae. Sunt enim plures in navi,  
qui non sunt provisi in mutatoriis, et sunt semper in sudoribus  
et foetoribus, ex quibus crescunt vermes tam in vestibus quam  
in pilis barbae et capitis. Idcirco peregrinus non negligat se,  
quin omni die se lustret. Contingit enim, quod ille, qui in  
hac hora non habet unum pediculum, in alia statim sequenti  
habeat mille, qui ei adhaeserunt, in aliquo loco alicujus pedi-

